THESES
EX PSYCHOLOGIA DECERPTÆ

Quas sub Auspiciis

AMPLISSIMI PRÆSULIS

MARCI ZAGURI

EPISCOPI VICETINI

DUCIS, MARCHIONIS, ET COMITIS &c. &c.

Publice propugnandas exponit

DOMINICUS TALDO

SEMINARII VICETINI ALUMNUS

PRÆCEPTORE, ET ADJUTORE

CASPARE GARDELLINI

IN EODEM SEMINARIO PHILOSOPHIÆ
LECTORE,

Data unicuique poſt tertium argumentandi facultate
More Academico.

VICETIÆ MDCCLXXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA CAROLI BRIXIANI,
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

250

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Orat. lib. 1. *Epiſt.* 2.

Digitized by Google

THESES

EX PSYCOLOGIA DECERPTÆ.

I.

EA eſt hominum, quemadmodum cæterorum animantium, conſtitutio, ut, ſtatim ac in lucem editi ſunt, rerum externarum in corpoream machinam, admirabili quodam, & vere divino artificio ad hunc finem elaboratam, actionibus, proindeque dolorum atque voluptatum ab eiſdem proficiſcentium, viciſſitudini ſe obnoxios manifeſtent. Hinc non poſſumus, quin extra omnem dubitationis aleam aſſeramus: *hominem ſentiendi facultate præditum eſſe.*

II.

Humanam porro mentem per hanc ſentiendi facultatem *divitem ſibi idearum ſuppellectilem comparare, ambigere non poſſumus.* Obſervamus enim eam viſu, tactu, auditu, aliorumque ſenſuum beneficio novas in diem rerum imagines, novaſque notiones nanciſci.

III.

Non ſolum ideas rerum, aliaſque notiones ſibi acquirit humana mens; verum etiam conſervare, recolere, & recognoſcere valet, ipſa experientia, atque uniuſcujuſque intimo ſenſu teſte, etiamſi earumdem objecta in organa ejus ſenſoria amplius non agant: *Quare eamdem memoria quoque gaudere certum exploratumque eſt.*

IV.

Obſervamus præterea, quod mens noſtra aciem ſuam in aliquod peculiare objectum intendere, in eoque ita detinere valet, poſthabitis interea rebus omnibus, quæ ipſi occurrunt, aut occurrere poſſunt, ut magis conſcia fiat hujuſmodi objecti, quam cæterorum omnium, quæ ipſam circumſtant. Hujuſmodi actum *attentionem* vocamus. *Mens itaque attentionis facultate pollet.*

V.

Mens humana deliberate interdum attentionem ſuam ad aliquod peculiare objectum convertit ita, ut ſucceſſive ad has & illas partes, earum-

que

Digitized by Google

que nexum eamdem applicet, quem attentionis modum cum Condiliacho *reflexionem* dicimus. Quare *reflexionis quoque facultate mentem noſtram præditam eſſe aſſerimus.*

VI.

Mediante attentione & reflexione nobis ideas diſtinctas efformamus, & memoria coadjuvante [mens enim inter ſe res conferre, quæ ſenſibus haud ſunt præſentes, minime poteſt, niſi eas memoria teneat] relationes rerum detegimus, atque ſimilitudines, ſi quas res habent, deprehendimus. *Hinc non ab attentione & reflexione tantum, verum etiam a memoria efformationem notionum generalium, veluti generum & ſpecierum dependere fidenter aſſerimus.*

VII.

Poſtquam mens quamplurimas ſibi ideas comparavit, eaſque claras, & quantum fieri poteſt diſtinctas, obſervamus eamdem ſatius inter ſe illas conferre; proindeque rerum nexum detegere atque notiones a ſenſibus quoque remotas, veluti ſupremi alicucujus hujuſce rerum univerſitatis moderatoris; cujuſdam regulæ actionum; hujuſmodi actum, rationis

nis actum vocamus: *Rationis ideo facultate hominem exornatum eſſe dicimus.*

VIII.

Hominem ſenſibus experrectum, & rationis lumine colluſtratum, *ad ea inclinare, quæ ſibi voluptatem afferunt, & declinare ab illis, quæ ſibi dolorem, tædiumque important, certo certius eſt.* Quilibet enim hanc veritatem, dummodo ad ea, quæ in ſe eveniunt, attentionem convertat, facili negotio aſſequitur.

IX.

Rerum externarum aliæ blande ſenſoria afficiunt; proindeque animæ voluptatem, quam ſenſualem dicunt, afferunt; aliæ violenter atque aſpere; ideoque dolorem ſenſualem eidem important; illas & voluptates ipſas homines ſenſibus velificantes pro *bonis* habent; has & moleſtias ipſas tamquam *mala* reſpiciunt. Quare *homo ſi tantum ſenſus audiat, declinabit ab his, & inclinabit ad illa.*

X.

Ratione duce comprehendit homo, quaſdam res

res, licet interdum alicui præſenti moleſtiæ obnoxias, ad ſui perfectionem & conſervationem conſpirare, ſibi demum veram, ſtabilemque voluptatem parituras; quas ideo *vera bona appellat*. Quaſdam vero, licet aliqua blanda voluptate linitas, in tædium eſſe abituras, ſibique incommoda, atque interdum excidium allaturas; quas ideo *vera mala reputat*. Igitur *homo, ſi tantum rationem ſequatur, ab his declinabit, & inclinabit ad illa*.

X I.

Actum, quo mens inclinat ad bona, *appetitum* vocamus, quo *declinat* a malis, adverſionem. *Igitur quidquid appetimus, appetimus ſub ſpecie boni, ſive veri, ſive apparentis; quidquid adverſamur, adverſamur ſub ſpecie mali, ſive veri, ſive apparentis.*

X I I.

Inde fidenter quoque aſſerimus: *hominem nullo modo poſſe bonum in ratione boni adverſari & odiſſe; & malum in ratione mali proſequi & amare.*

XIII.

Cum appetitum, ſi ſenſitivum reſpicias, a ſenſationibus dependeat, atque hæ a mutationibus, quæ in corpore contingunt ob actionem rerum externarum in ſenſoria; & generatim cum a principii ſentientis & cogitantis cum corpore, organis aptato, conjunctione emergat homo; patet: *appetitus quoque a phyſica corporis conſtitutione dependere*. Concedimus tamen & educationem in eoſdem plurimum influere.

XIV.

Cum affectus nil aliud ſint, quam vehementiores appetitus, quos quædam in corpore perturbationes concomitari ſolent; veluti celerior ſanguinis motus, rubor, vel pallor in ore, in oculis ignis, in artubus trepidatio: *Affectus omnes vel a voluptate, vel a dolore, & tedio proficiſcuntur.*

XV.

Ex dictis patet; *affectus quoque a phyſica corporis conſtitutione etiam dependere.*

XVI.

XVI.

Cum phyſica corporis conſtitutio influat in affectus; quæ in omnibus eadem non eſt, Fluida enim corporis, ut ex obſervationibus colligere eſt, eadem ratione in omnibus temperata non ſunt; nec fibræ eodem modo elaſticæ, *Nec eiſdem eadem facilitate affectus, nec eadem vi in omnibus excitari poſſe perſpicuum eſt.*

XVII.

Obſervamus, quod, qui aliqua triſtitia conflictatur, repente aliquo magis infauſto eventu, veluti cari amici, quem ut dimidium animæ ſuæ reſpiciebat, interitu perculſus, adeo conſternatur, atque eo mærore conficitur, ut triſtitia, qua primum afficiebatur, quodammodo evaneſcat; & tum ſi aliquod vitæ diſcrimen ſibi imminere ſentiat & videat, ita terrore corripitur, ut præcedens mœror ſedetur interea; ſcilicet, *Vehementior affectus offuſcat cæteros alios.*

XVIII.

Si quis perſecutionibus exagitatus velit in aliorum animo erga ſe miſericordiam excitare, id faci-

faciliu ſobtineri obſervamus in illis, [cæteris paribus] qui laxiori ſunt fibra, & ex his in illis præſertim, qui eaſdem viciſſitudines perpeſſi fuerunt; quarum adhuc gravamen recordantur, tediumque comprehendunt; nimirum aſſerimus: *facilius in nobis affectus excitari, qui & phyſicæ corporis diſpoſitioni, animæque ſtatui præſenti magis conveniunt.*

X I X.

Actum illum, quo mens noſtra demum ſe determinat ad objectum amplexandum, vel illud fugiendum, voluntatis actum vocamus. *Hac itaque potentia quoque mens humana gaudet.*

X X.

Quamvis anima ſuapte veluti natura inclinet ad ea, quæ ſibi afferunt voluptatem; & declinet ab illis, quæ ſibi dolorem important; tamen fidenter aſſerimus: *Non ita ad ea inclinare, ut non poſſit eadem non velle, non fugere; nec ita ab his declinare, ut non poſſit eadem velle, & amplecti.* Quidquid de hac re effutiant Spinoſa, Elvetius, & Obeſius.

X X I.

XXI.

Motiva vocamus repræſentationes boni & mali; cum itaque alia bona, & mala a ſenſibus homines repetere ſoleant; alia a ratione & reflexione proficiſcantur: *Agendi motiva homines a ſenſibus habent, & a reflexione.*

XXII.

Idem objectum multiplices reſpectus involvit; ex quo fit, ut & tamquam bonum, & tamquam malum illud idem nobis ſe ſiſtat; exem. gr. farmacum amarum, ſi tantum ſenſationi indulgeas, reſpicies ut malum, ſit illud tamquam medium recuperandæ priſtinæ valetudinis contempleris, tamquam bonum habebis: *Igitur idem objectum & volitionis & nolitionis motiva involvit.*

XXIII.

Etiamſi cum Leibnitio liberaliter agere velimus, ipſique blandiri aſſerentes cum eodem, duas res perfecte ſimiles haud poſſe reperiri, tamen *motiva perfecte ſimilia exiſtere poſſe, idque contingere, nobiſcum ipſe conveniat neceſſe eſt.* Cum

enim

ɔ"υ

enim motiva ſint repræſentationes rerum, ſeu boni, malique repræſentationes, quemadmodum & ipſe ſentit, & cum ea non ſit humanæ mentis acies, ut minimas atque impervias rerum diſſimilitudines comprehendere valeat; ſequitur, ut ipſa quandoque debeat ſibi res, ut ſimiles prorſus repræſentare, etiamſi tales revera non ſint. Quod & eo potiori jure aſſerimus, quod bona & mala non in ſe talia ſunt, ſed relative, ratione ſcilicet habita ad ſtatum noſtrum, aut internum, aut externum; bona ſcilicet perfecte ſimilia habenda ſunt, quæ eadem vi, & eodem modo ad noſtram conferunt perfectionem & conſervationem.

X X I V.

Extra omnem dubitationis aleam poſitum putamus; *actus elicitos, ſeu actus internos voluntaris liberos eſſe a coactione;* quæ eſt impetus propenſioni, genioque noſtro contrarius. Trahitur quidem reus ad patibulum, ſed nulla vis externa efficere poteſt, ut patibulum velit.

X X V.

Cum itaque *libertas* a coactione ſit facultas ſecundum propriam naturalem inclinationem gen-

tium-

Digitized by Google

tiumque agendi, citra omnem externæ cauſſæ adigentis impulſionem; *mentem humanam liberam eſſe libertate a coactione liquido patet*. Huic propoſitioni & Fataliſtæ ipſi, omneſque prorſus liberi arbitrii Oſores ſubſcribunt.

XXVI.

Non ſolum autem interni actus voluntatis ab externa coactione liberi ſunt; ſed ita ſe habet humana mens; *ut a motivis non determinetur, nec juxta ea neceſſario ſe determinet*: ſed ita, ut etiam aliter ſe determinare poſſit. Quiſquis enim ſentit, quod dum rem aliquam eligit, poſſet etiam eam non eligere.

XXVII.

Quamvis daretur ſtatus perfecti æquilibrii, ad alterutrum ex bonis exhibitis ſe poſſet mens determinare. De qua veritate intimus ſenſus nos dubitare non ſinit. Deinde humana mens non eſt ſubſtantia cœca, & iners, quæ bilancis inſtar, ob hanc rationem æquilibrium ſervare debeat.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII

Nos definimus *humanam libertatem*, *ſeu liberum arbitrium per eam animæ humanæ facultatem, cujus vi poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt ipſa agere, & non agere, aut etiam contrariam actionem exercere*. Quæ ideo libertas indifferentiæ dici ſolet. Nonnulli libertatem *a neceſſitate* eam nuncupant, ut ab illa a coactione eamdem ſecernant.

XXIX.

Animam porro humanam libertate indifferentiæ, ſeu libero arbitrio donatam eſſe certum ratumque habemus.

XXX.

Cum illis autem convenire non poſſumus, qui humanam libertatem definiunt per facultatem ex pluribus poſſibilibus ſponte eligendi, quod ſibi maxime placet. Hæc equidem eſt idea libertatis a coactione, ſed non a neceſſitate Cum hujuſce enim generis libertate & neceſſitas poteſt componi. Hæc & Collino omnium Fataliſtarum Coriphæo

riphæo arridet; ipſe quoque *in ſuis inquiſitionibus de humana* libertate ſtatuit, quod poſſint homines agere, quod ipſis placet, atque libertatem hominis eſſe potentiam ſponte eligendi, & non eligendi pro ut ipſi volunt, approbat; at ideo a neceſſitate eos expediri non poſſe contendit.

X X X I.

Libertatis porro indifferentiæ natura ea eſt, ut abſque rationis uſu nullo modo ſtare poſſit. Niſi enim hoc lumen mentem illuſtret, verum bonum ab apparenti haud diſtinguere poteris; & tantum a ſenſibus agendi motiva deſſumes; nec habebis, quod poſſit te de tuo errore admonere, atque inde revocare.

X X X I I.

Animalia itaque rationis uſu deſtituta, quo ſenſus, & appetitus ea alliciunt, neceſſario ferri oportet.

X X X I I I.

Homines vero licet affectibus ſint obnoxii, tamen ratione duce poſſe eos vincere & moderari ambigendum non eſt.

VXXIV.

XXXIV.

Eo momento quo affectus aliquis vehemens; veluti ira ſervet humanam libertatem admodum limitari, vel tolli poſſe, aſſerimus. Tunc enim ab affectus objecto ita abripitur mens, in eoque tota occupatur, ut reflectendi locus ipſi non relinquatur.

XXXV.

Cum affectus progreſſu temporis veluti in habitum tranſeant, nobiſcum congruant, quemadmodum ab ipſa corporis conſtitutione videre eſt, atque ab experientia deſſumere licet; *Ideo eos vincere & moderari, ſi invaluerint, difficillimum eſſe cenſendum eſt.*

XXXVI.

Ex dictis ſequitur: *Ne pravis affectibus abripiamur, eiſdem adbuc naſcentibus eſſe obſiſtendum.*

FINIS.

Diſputabuntur publice Vicetiæ in Ædibus Epiſcopalibus Anno Domini MDCCLXXXVIII. *Menſe Maii Die V.*